

prout excessus, et defectus criminis, sive scandalum, aut peccandi fragilitas, et consuetudo suaserit. Item persona, locus, modus, et alia hujusmodi. Nullum tamen ei relinquatur arbitrium circa moderationem poenarum, ubi delicta, prout recensita sunt, committi contigerit. »

490. Quinto, licet reus, qui nec confessus, nec convictus est, ad poenam ordinariam condemnari nequeat, potest tamen condemnari ad extraordinariam minorem ordinariam, si reus graviter indicatus existit, praesertim, si plus quam semiplena probatio contra ipsum adsit; nisi se per torturam purgaverit.

491. Sexto, si reus torturam negando sustinet super illo, super quo tantum semiplene, vel plus quam semiplene probatio habetur, nulla nec extraordinaria poena ob id amplius puniri valet.

492. Septimo. Antequam feratur sententia, de substantia requiritur, ut citetur reus juxta dicta n. 484.

493. Octavo. Si ex processu reus ita reperitur innocens, ut nec semiplena probatio contra ipsum existat, absolvi, et accusator ad poenas calumniae (apud nos etiam talionis) condemnari, prius tamen citari, et audiiri debet juxta dicta n. 483.

494. Nono. Debet sententia in scriptis ferri, et legi, id est, debet prius scriptis mandari, et dein ex scriptura legi.

495. Decimo. Si reus est absens, debet eidem etiam in praesentia testium in faciem legi sententia, et legendo promulgari.

496. Undecimo. Apud nos necessario requiritur, ut feratur cum consilio et consensu V. Diffinitorii: et quidem in praesentia V. Diffinitorii, vel saltem majoris partis, utpote conjudicis, actu congregati, ut habet textus in *Pract. crimin.*, tit. *Sententia*, § 4, et ibi Ludovicus de Ameno, n. 32. Item debet esse subscripta manu judicis, et Diffinitorii: ac promulgari publice in refectorio, aut saltem Diffinitorio, et post factam promulgationem subscribi a testibus ad id rogatis, ut testentur de promulgatione facta.

497. Duodecimo. Convenit, ut sententia etiam promulgetur in locis delicti (non tamen extra ordinem) ut ubi scitur delictum, sciatur etiam poena: et in loco, ubi puniatur reus, quatenus appareat, quare ita puniatur.

498. Decimotertio. In sententia debet judex recensere delicta per extensum, ut ex

illis delinquens, et aequitas poenae cognosci, caeteri autem a similibus delictis abstinere valeant.

499. Decimoquarto. Si reus poenae statutariae capax non est, mutanda est in aequalem aliam. Ut autem in praxi res appareat, datur hic sententia pro casu nostro hactenus ventilato.

500. *Forma sententiae definitivae.*

« In nomine Domini, amen. Haec est sententia definitiva, in causa criminali lata contra Fr. Mævium N. accusatum (vel judicialiter denunciatum, aut ex officio inquisitum) prout in processu.

» In nomine sanctissimae ac individuae Trinitatis, ac Beatissimae Virginis Mariae, Amen. Christi Jesu sacratissimo nomine invocato, nos fr. N. minister provincialis, etc., ac judex ordinarius, visis, ac diligenter consideratis omnibus et singulis in causa et causis, coram nobis (si judex delegatus formavit processum, dicatur loco nobis, coram iudice nostro delegato fr. NN., etc.), actatis de, et super (recensentur delicta v. g. in casu nostro furtis sacrilegis, gravi vulneratione, et violenta injusta carcerum effractione), de quibus fr. Mævius fuerat accusatus; mature quoque consideratis testimonium depositionibus, indicis, et probationibus, contra praefatum fr. Mævium militantibus; ipso etiam reo citato, et interrogato, ac sufficienter audito, visis tandem omnibus videndis, et consideratis considerandis, habito insuper consilio, et assensu V. Diffinitorii; Deum solum praese oculis habentes, ut de illius vultu iudicium nostrum prodeat.

» Christi Jesu Salvatoris nostri nomine repetito, et invocato, per hanc nostram definitivam sententiam, quam in scriptis ferimus, dicimus, declaramus, pronuntiamus, et sententiamus, fr. Mævium N. esse confessum, et ex parte convictum de criminibus, de quibus fuit accusatus, et processatus, videlicet primo, quod sacrilege furatus sit monilia pretiosa e statua Beatae Virginis Mariae in capella N. pendens. Secundo, quod itidem sacrilege furatus sit calices e sacristia. Tertio, quod violenter ac injuste effregerit carceres. Quarto, quod graviter percusserit pro custode carceris deputatum fr. Justum; dum fugientem ex officio apprehendit, et detinere voluit. Et quia memoratus reus praefata crimina furti et vulnerationis saltem, in pluribus constitutis mali-

stiosissime negavit, perjuria saepius considerate, ac deliberate repetendo, ac non nisi post adhibitam torturam; consequenter non tam libere, quam timore poenarum adactus delicta confessus est, eum utpote nulla remissione dignum ad poenam ordinariam, juxta ordinis constitutiones condemnamus. Et quia ob repetita sacrilega, pessimeque qualificata furta de jure civili mortem, consequenter apud regulares perpetuos carceres promeritus est, ad dictos perpetuos carceres una cum omni effectu eorum illum ob praefata furta condemnamus. Ob injustam, et violentam carcerum effractionem, licet eidem poenae de jure civili subjaceret; quia tamen illam ex priori delicto impositam jam habet, commutantes eam condemnamus ad jejunium in pane et aqua ter in septimana per decem annos sustinendum. Ob gravem vulnerationem declaramus ipsum excommunicatum, et loco carceris ejusque effectum, memoratum jejunium ad alios tres annos condemnando extendimus. Volentes insuper, ut etiam in reliquis diebus, communibus fratrum alimentis privatus, non nisi parce, ac frugaliter pascatur. Atque hoc, et omni meliori modo sententia ista haec lata, lecta, et publicata fuit die, mense, anno, in conventu N.

» Ita pronuntiavimus pro Tribunali Sententiarum. »

Fit subscriptio iudicis, et eorum, quorum de jure, statuto, aut consuetudine, apud nos fit, ut sequitur. — Fr. N. diffinitor. Fr. N. diffinitor. Fr. N. diffinitor. Fr. N. diffinitor. Fr. N. provinciae custos. Fr. N. minister provincialis. Fr. N. actuarius. Fr. N. testis rogatus promulgationi interfui. Fr. N. testis rogatus etiam interfui.

Ita mutatis mutandis fertur sententia etiam in aliis, quorum formulas absolutorias, partim condemnatorias, item partim absolutorias, qui cupit habere, invenit apud Ludovicum de Ameno, in *Formul. criminal.* sect. VIII, et Passerinum in *Praxi causarum judicialium*, et alios.

501. *Si judex delegatus fert sententiam debet esse praesens et alios praecedere.* — Si judex delegatus usque ad sententiam definitivam inclusive procedit, et fert ipse sententiam (prout saepe fieri debere suadet Ludovicus de Ameno) dum eam fert, necessario praesens est, ac praesidet, utpote tunc loco A. R. P. provincialis, aut alterius iudicis

ordinarii, existens et tanquam verus iudex jurisdictionem in loco iudicii exercens, consequenter omnes alios praecedens per dicta n. 343 et 496.

DE APPELLATIONE, ET ALIIS OBSERVANDIS POST SENTENTIAM.

502. *Sententiae executio debet per decem dies differri ad videndum, an, et qualiter reus appellet.* — Post latam, et publicatam sententiam attendi debet, an non, qualiter, et quando reus, vel patronus ejus appellet.

Si reus expresse dicat, quod sententiam acceptet, vel ei se submittat, consequenter appellare nolit, statim fieri potest executio sententiae. Si tacet, et nil dicit, nec alias manifestat, quod appellare nolle, executio sententiae differri debet, donec decem dies elabantur, intra quos, si non appellat reus, transit sententia in rem iudicatam, et fit executio. Quod si reus est suspectus de fuga, potest et debet etiam intra decem dies custodiae causa carcerari.

503. *Si appellatio est manifeste frivola, rejicitur. Appellatio frivola, quae?* — Si audita sententia statim, vel saltem intra decem dies appellat; videndum, an appellatio sit legitima, vel frivola, seu frustratoria. Si non legitima, sed illegitima, utpote in jure prohibita vel frivola manifeste apparet, non attenditur; sed ea non obstante ad executionem proceditur.

Appellationes frivolae, et a jure prohibitae inter alias censentur. 1. Appellatio a sententia contra delicta notorie commissa. 2. Appellatio rei confessi, et convicti. 3. Appellatio rei condemnati ex eo, quod contumax fuerit in comparando, vel respondendo, nisi prius purgaverit moram. 4. Appellatio a sententia iudicis arbitri, in quem appellans prius consenserat. 5. Appellatio post fatalia, decem nempe dies a lata et intimata sententia, interposita. 6. Appellatio contra jus clarum, id est, sententiam vel decretum, quod iudex juxta clarum juris textum fecit. 7. Appellatio interposita, postquam reus sententiam jam acceptavit, de quibus amplius vide lib. II, tit. XXXVIII, § 11 et 12, ac *Pract. nostram criminal.* tit. *Canones circa recursum*, § 11, et ibi Ludovicum de Ameno.

504. *Appellatio dubia, vel non manifeste frivola debet admitti.* — Si vero appellatio legitima, vel saltem dubia, aut non manifeste

frivola est, eam admittere, et appellanti apostolos concedere iudex debet.

505. *Quomodo appellatio fieri possit, ac debeat?* — Qui vult appellare a sententia definitiva, potest id facere vel statim in continentem, seu stante pede, postquam audivit sententiam, vel post intervallum, dummodo intra decem dies faciat, et apostolos debite petat. Et si in continentem appellat, eam otenus proponere potest. Nec est necesse, quod causam appellationis assignet, sed sufficit, quod appellationem insinuet, et apostolos petat; potest tamen, si vult addere causam in genere, dicendo, se esse gravatum v. g. « Quandoquidem per sententiam hanc inveniam me gravatum, ideo ab eadem appello, et peto apostolos instantem, instantius, instantissime. »

506. *Potest quis pro reo, sive presente, sive absente appellare.* — Porro, quamvis appellatio a definitiva valida sit, si coram iudice, vel solo actuario fiat; tamen bene facit appellans, si in presentia testium eam faciat, saltem dum dubitat de integritate iudicis, vel actuarii, an appellationem factam actis inserant.

507. *Ad quem, et quo ordine appellari debeat?* — Eodem modo, quo ipse reus potest appellare, potest etiam patronus ejus, imo quis alius extraneus, sive amicus, vel consanguineus rei sit, sive non, pro illo appellare, sive dein reus absens sit, vel presentem taceat; et hoc contingere potest, si reus simplex rem non intelligens tacet, bonus autem amicus injuriam ei fieri cernit, et propterea pro illo appellat.

508. *Quid debeat facere iudex a quo, dum eidem appellatio insinuat?* — Debet autem appellans observare debitum ordinem, qui est, ut fiat appellatio ad proximum superiorem illius, a quo appellat. Item a delegato ad delegantem, a subdelegato autem non ad subdelegantem, sed ad primum delegantem, nisi delegatus quis fuisset ad universitatem causarum. In ordine nostro fit a provinciali ad generalem superiorem, ab hoc ad protectorem, a protectore ad s. Congregationem, et ab hac ad Papam: quo ordine non servato non auditur, sed puniuntur, prout habet *Practica nostra criminal.* tit. *Canones.* § 4. Porro, si horum aliquis causam alteri delegat, fit appellatio etiam a delegato ad delegantem, ad provincialem v. g., si hic delegavit aliquam causam.

509. *Frivole appellanti potest iudex dare*

apostolos refutatores: Et quales? — Facta appellatione iudex non statim resolvit, an appellationem rejicere, vel acceptare, item an, et quales apostolos impertiri velit, sed dicit, se facturum ea, quæ juris sunt. Dicta hactenus patent in casu nostro.

« Anno, die, mense comparet fr. Justinianus N. patronus fr. Mævii, et dicit, quod cum per sententiam definitivam die, etc. latam dictus fr. Mævius multum gravatus existat, contra eandem omni cum humilitate et reverentia, salvoque respectu A. R. P. Iudicis a Quo, in presentia testium secum assumptorum appellet, et apostolos instantem, instantius, instantissime petat. » Fr. Justinianus N. patronus.

« Supra posita appellatio insinuata et presentata fuit die mensis, anno, loco quo percepta respondit A. R. P. provincialis se prestiturum ea, quæ juris esse judicaverit. In quorum fidem, etc. » — Ego fr. Justinianus appello, et peto, ut supra. Ego fr. N. testis fui presentem. Ego fr. N. testis interfui. Ego fr. N. minister provincialis. Ego fr. N. actuarius.

« Eadem adhuc die A. R. P. provincialis consideratis considerandis invenit, appellationem esse manifeste frivolum, et a jure prohibitam, utpote a confesso factam: quapropter eandem ut talem rejiciendam, illaque non obstante ad executionem sententiæ procedere decrevit, prout de facto decernit. » — Ego fr. N. minister provincialis. Ego fr. N. actuarius.

Decretum rejectæ appellationis debet indicari reo; si acquiescit, res est salva, et fit executio sententiæ: si denuo etiam a decreto hoc appellat, vel appellationi priori inhæret potest iudex ei dare apostolos refutatorios, quos etiam statim una cum decreto rejectæ appellationis dare potest, assignando causam appellationis v. g.

« Cum memoratum decretum reo intimatum, denuo etiam a presenti decreto appellavit, ac iterum apostolos instantem, instantius, instantissime petiit, A. R. P. provincialis vero eam rursus rejecit, simul tamen decrevit eidem apostolos refutatorios concedere. Die mensis, anno. » — Ego fr. N. actuarius.

Apostoli refutatorii (qui aliud non sunt, quam litteræ, quibus iudex a quo testatur reum appellasse quidem, appellationem vero a se esse rejectam ex causa, quam necessario apponere debet) sequenti vel simili modo fieri.

Apostoli refutatorii. — « Reverendissimo in Christo P. NN. totius ordinis N. Generali, nos fr. N. N. provincialis omni, qua decet, reverentia tenore presentium notum facimus, et significamus, quod postquam in causa sacrilegi furti, violentæ effractionis carceris, et gravis vulnerationis, de quibus apud nos accusatus fuerat fr. Mævius, contra illum sententiam tulimus, ille appellaverit quidem, et apostolos petierit; nos vero eandem appellationem tanquam aperte frivolum utpote a libere confesso factam speciali decreto rejecerimus. Verum quia reus ab hoc decreto rejectionis denuo appellavit, vel appellationi suæ institit, et apostolos de novo petiit, nos decreto priori inhærentes, eidem apostolos non nisi refutatorios hosce impertimur, sententiam non obstante hac manifeste frivola appellatione, prout juris executuri, et reum sub jurisdictione nostra conservaturi. Dat. die, mense, anno, loco, etc. » — Ego fr. N. minister provincialis. Ego fr. N. actuarius.

510. *Rite appellanti debent dari apostoli dimissoriales, vel reverentiales, una cum sigillata copia actorum.* Expediit subinde ut copia actorum non detur reo appellanti: nec statim transmittatur. — Quod si iudex appellationi defert, prout tenetur, si legitima, vel dubia, vel saltem si non aperte frivola erit, debet appellanti dare apostolos reverentiales, vel dimissoriales, quibus testatur, quod quamvis appellatio rei merito rejici deberet, ex reverentia tamen iudicis ad Quem eidem deferat, et hisce notum faciat, quod reus appellaverit, eique detulerit iudex, propterea illum cum sigillata copia actorum dimittat ad iudicem ad Quem; nisi expediat copiam actorum alia via transmittere iudici ad Quem.

Notandum hic, quod si iudex ad quem, longe distet, expediat, ut reus in persona non dimittatur ad iudicem ad quem, sed prius scribatur eidem et rogetur, quatenus iudicem delegatum destinare vel indicare dignetur, quid habere velit; interea reus, si est suspectus de fuga, custodia causa

defineatur in carcere: si non est suspectus, conservetur in suo monasterio. Cognita voluntate iudicis ad quem, eidem iudex a quo se accommodet.

Si reus suspectus de fuga retinetur, potest ipse iudex per se, vel per alium copiam actorum sigillatam transmittere ad iudicem ad quem, si ipse velit causam assumere, vel iudici delegato consignare, si alicui causa delegatur. Consultissimum autem videtur, ut donec de voluntate iudicis ad quem constet, ob periculum perditionis, et confusionis acta ad illum, si longe distans v. g. Romæ existit, non transmittantur.

511. *Appellatio etiam fieri potest coram honestis viris, vel per edictum.* — Ulterius notandum, quod in casu, quo reus appellare volens, non potest habere presentiam iudicis, vel eam timeat, possit a sententia contra se lata appellare coram honestis viris, qui eidem dant apostolos testimoniales, id est, litteras, quibus testantur, reum coram ipsis appellasse: vel si viros, qui eidem attestari nollent, non inveniret, posset per edictum appellare affigendo in publico aliquo monasterii loco appellationem suam. Formulam, qui vult, habet apud Ludovicum de Ameno, in *Formul. criminal.* sect. IX, n. 4.

512. *Appellatio facta, etiam debito tempore introduci debet, alias censetur deserta.* — Facta appellatione tenetur reus infra sex menses introducere, et prosequi suam appellationem, nisi eidem brevior terminus a iudice præfigatur, prout fieri potest, et solet: quod si intra terminum a jure, vel iudice præfixum appellationem non introducat apud iudicem ad quem, et eam prosequatur, censetur appellatio deserta, et proceditur ad executionem sententiæ.

513. *Sicut a definitiva, sic etiam interlocutoria appellari potest, et quando?* — Porro sicut juxta hactenus dicta potest reus appellare a sententia definitiva, ita etiam appellare potest ab interlocutoria, durante processu, lata, seu a decreto aliquo, v. g. a decreto de notorietate delicti, a decreto non admissi; sed indebite rejecti, aut correcti unius vel plurium interrogatoriorum, vel articulorum a reo correctorum, a denegata exclusionem diffinitorii, assessoris, actuarii, a decreto rejiciendi recusationem iudicis, etc. a decreto carcerationis, a decreto torture, etc.

Notanda tamen notabilis differentia inter appellationem a definitiva, et eam, quæ fit

ab interlocutoria. Videlicet, quod in illa non teneatur appellans allegare causam appellationis, bene vero in ista. Item, quod appellatio, quæ fit a definitiva possit fieri oretenus, si in continenti interponitur: ab interlocutoria vero debeat fieri in scriptis, loquendo de jure. Item quod appellans ab interlocutoria non possit alias appellationis causas allegare coram iudice ad quem quam allegavit in ipsa appellatione coram iudice a quo insinuata: secus est appellatio definitiva.

514. *Ea interposita quid facere debeat iudex a quo?* — Appellatione ab interlocutoria, facta, iudex a quo considerat appellationis causam: quam si aperte invenit frivolum, vel falsam, appellationem ipse rejicit, et pergit in causa, sicut supra n. 503, diximus de appellatione a definitiva: Si causa est legitima, vel dubia, vel saltem non aperte frivola, aut falsa, ei deferre tenetur.

515. *Pœna per sententiam imposita, an, a quo, et quando possit minui.* — Illud etiam hic observandum, quod iudex latam sententiam definitivam non amplius mutare, nec pœnam in ea taxatam augere, vel minuere possit, nisi habeat appositam clausulam *Reservata* V. Diffinitorio potestate, pœnas post tempus, etc. minuendi, si reus interea specialia pœnitentiæ, et emendationis signa dederit, quam clausulam subinde apponendam suadet Ludovicus de Ameno, tit. *Sententia*, q. 8, n. 142 et 143, ubi etiam addit, quod si alias apud nos A. R. P. minister provincialis, vel V. Diffinitorium vellet minuere pœnas, deberet recurrere ad generalem.

DE OBSERVANDIS A IUDICE AD QUEM APPELLATUR.

516. *Quid debeat facere iudex ad quem in casu appellationis ab interlocutoria.* — Quamvis hactenus breviter et compendiose tantum adduxerimus, quæ pro praxi formandi processum serviunt, tamen in hoc *Sub* § adhuc breviores erimus, quia totam hanc praxin solummodo scribimus pro minus peritis, vel expertis in jure, et re criminali: non item pro doctis, et expertis, quales supponuntur superiores majores, generales, et provinciales, quos tangit hæc rubrica. Hinc potius per modum recollectionis, quam instructionis pauca sententia subjungimus.

Itaque in memoriam revocandum: quando

iudici ad quem, v. g. A. R. P. provinciali reus aliquis præsentat appellationem ab ejus delegato, debet iudex ad quem ante omnia videre, an sit ab interlocutoria, vel definitiva: si est ab interlocutoria; puta, decreto aliquo durante processu, per delegatum facto, debet iterum videre, an materia vel articulus circa quem appellat, sit appellabilis, an nempe ab interlocutoria contineat gravamen per definitivam non amplius reparabile; vel habeat vim sententiæ definitivæ: et si materia non est una ex his, consequenter non appellabilis, appellatio rejici, et appellans ad iudicem a quo remitti debet.

Dein debet considerare, an, et qualis allegata sit causa appellationis, et si videt, quod sit causa notorie frivola, vel falsa, pariter appellatio illius rejicienda, et appellans ad iudicem a quo remittendus est. Si vero causa est rationabilis, vel dubia, aut saltem non evidenter frivola, vel falsa, appellatio admittenda, et judicialiter examinanda est.

Et quidem, si causa in facto consistit, per testes, et alia probationis media per appellantem producenda probari, ac propterea notarius pro actuario serviens creari, et processus institui debet.

Si vero appellationis causa dependet a puncto juris, reus loco testium jura allegare debet, quæ si reus ignorat, debet iudex ad quem petenti concedere patronum.

517. *Cognita frivola, aut mala appellatione remittitur reus ad iudicem a quo.* — Examinata rite citat appellantem ad dicendum, an aliud adhuc habeat ad probandum causam, et postea cum consilio et consensu V. Diffinitorii (apud nos) sententiam super validitate appellationis ferre; ac si invalida agnoscitur, debet reus remitti ad iudicem a quo una cum sententia et toto appellationis processu, qui dein inseritur actis prioris processus.

518. *Cognita vero legitima appellatione, prosequitur iudex ad quem causam.* — Si valida agnoscitur appellatio, causa terminari debet apud iudicem ad quem servato juris ordine hactenus recensito. Cæterum qualiter fieri debeat processus appellationis ab interlocutoria, habes amplius apud Ludovicum de Ameno, in *Formul. criminal.* sect. IX, a n. 17.

519. *Quid facere debeat iudex in casu appellationis a definitiva?* — Quod si vero ap-

pellatio fiat a definitiva, debet etiam ante omnia videre, an, et quales apostolos habeat appellans: dein, an statim et absque lustratione actorum ex ipsa appellatione pateat, appellationem esse manifeste frivolum, et unam ex illis, de quibus supra n. 503. Si sic, tunc statim etiam absque actorum lustratione per sententiam cum consensu, et consilio V. Diffinitorii rejicere appellationem, et (apud nos) appellantem ad duplicem pœnam condemnare debet. Si vero appellatio manifeste frivola non apparet, lustrare acta, et ex eis videre debet, an iudex male, vel bene judicaverit, processumque rite formaverit; si sic, rursus cum consensu et consilio V. Diffinitorii fert sententiam, quod bene judicatum, et male fuerit appellatum; et apud nos duplicat reo pœnam: si vero invenit male judicasse, fert e contra sententiam, quod male judicatum, et bene appellatum sit, absolvitque reum vel ex toto, vel ex parte, juxta merita causæ: censetur autem omnis illa sententia etiam injusta, quæ ex actis justificari nequit.

520. *Si constat, iudicem malitiose, ac dolose, ac non servato juris ordine judicasse, punitur: et quomodo?* — Si ex actis patet, aut reus appellans demonstrat, quod iudex non tantum male judicaverit, vel debitum juris ordinem non servaverit, sed id etiam dolose, vel malitiose fecerit, debet iudex a quo per iudicem ad quem subijci pœnis contra iudices male judicantes, vel juris ordinem non servantes latis; ut habet textus nostræ *Practic. criminal.* tit. *Sententia*, § 3, et ibi Ludovicus de Ameno, n. 23, et seqq. qui ad finem merito subjungit, quod iudex male judicans puniti non debet, nisi prius audiatur: legatur super hoc loc. cit.

521. *Debet tamen prius etiam audiri iudex a quo, et eidem communicari appellatio apud iudicem ad quem introducta.* — Imo ante sententiam iudex ad quem ordinarie audire debet iudicem a quo, et admittere ad impugnantiam appellationem, et manutenendam sententiam a se latam; sicut etiam ad manutenendam suam jurisdictionem, casu quo ipse recusatur ut iudex, prout amplius demonstrat Ludovicus de Ameno, tit. *Canones.* a n. 122.

522. *Praxis introducendi appellationem, eam communicandi iudici a quo, hujusque responsionis ac informationis, necnon procedendi, et sentiendi per iudicem ad quem.* — Hinc laudanda, est merito ubique imi-

tanda videtur praxis et consuetudo juri conformis, in pluribus Germaniæ partibus vigens: vi cujus iudex a quo correcta et introducta apud se appellatione habeat apostolos dimissoriales, vel reverentiales, consequenter per iudicem a quo admissa, eam una cum causis illius, et aliis a reo deductis, in copia, vel originali communicat iudici a quo, eique mandat, ut desuper respondeat, et necessariam informationem cum actis transmittat, v. g. Si reus ita introducit appellationem.

523. « Reverendissime Pater, etc. Ex acclusis apostolis patet, quod legitime appellaverim a sententia per NN. contra me lata juxta copiam adjacentem; quia vero per memoratam sententiam plurimum gravatus existo: Cum primo, etc. (ponit causas et fundamenta sua ex actis, rationibus, de jure; ac denique concludit): Ex quibus omnibus abunde patet, quod per sententiam iudicis a quo plurimum et immerito gravatus existam, etc. Quapropter ad Reverendissimam Paternitatem justissimum iudicem plena fiducia recurro humillime, rogans, ut, etc. Reverendissimæ Paternitatis. Fr. NN. »

Appellatio inquam ita introducta, a iudice ad quem communicatur iudici a quo postquam prius creato, vel jam existente assumpto notario publico pro actuario, per eundem inceptit conscribere processum apud se per appellationis introductionem inchoatum, eo fere modo, quo iudex primæ instantiæ facit juxta supra a n. 344, mutatis mutandis. Communicatio autem fieri potest taliter:

524. « Reverende Pater, etc. Ex acclusis videbit, qualiter, et quibus de causis a sententia per Vestram Paternitatem lata appellaverit Fr. N. Quapropter præcipimus, ut desuper respondeat, et debitam informationem in hac causa, una cum actis nobis transmittat. R. Paternit. NN. »

Recepto hujusmodi mandato iudex a quo una cum actis suam transmittit responsionem et informationem (germanice *Appellations-Bericht*) in qua allegatis causis, rationibus, et juris sententiam a se latam justificare, et appellationem, ejusque causas refutare conatur, v. g.

525. « Reverendissime Pater, etc. Mandatum Rever. Paternitatis Suae una cum acclusis